

ECKBERTVS ABBAS S. FLORINI.



Eckbertus propter uirtutes & multifariam eruditionem Bunnensis Canonicus factus est. Habebat autem is Helizabetham sororem honestissimæ uitæ virginem, quæ Schonaugiensis monasterij abbatissa erat. Monasteriū illud est situm in fine Treuerensis diocœsis, non longè à Rheno ad syluam Hercyniam. Iuxta autem monialium cœnobium erat & alterum monachorum, utrumq; ordinis Benedicti. Itaq; soror fratrem ad se uocat, atque ei persuadet ut monachus fiat. Cum autem ille melioribus literis optimè institutus esset, atque sua doctrina & eloquentia hæreticum quendam, cui hactenus nemo resistere poterat, unica disputatione superasset, factum est ut eius loci abbas eligeretur, sub Friderico I. Imperatore, anno Christi circiter millesimo centesimo sexagesimo quinto. In eo officio sacrī literis sedulò operam dedit, & contra hæreticos librum ædidiit. Scripsit etiam sermones plurimos, qui per totum annum populo annuntiantur. tandem uero optimè suo officio functus interiit. Trit. in script. Eccles.